



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Vtî amans anima contempletur Dei perfectiones gloriamq[ue],
creaturarum omnium perfectiones & gloriam in immensum excellere Cap.
XVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

accede vt amem te. Cognoscam te cognitor meus, cognoscam te, sicut & à te cognitus sum. Amem te & pulchritudo mea Deus meus, amem te licet sero, sicut & à te amatus sum. Immitte in cor meum scintillas ignis tui Deus meus, vt illuminentur interiores oculi mei, ad videndum pulchritudinem tuam in te. Libet de ignis tui ignitissimo fonte te ignem desiderabile haurire, vt de te ipso igne vero, Deo meo & illuminer & inardescam.

Vti amans anima contempletur Dei perfectiones gloriãq; creaturarum omnium: perfectiones & gloriã in immensum excellere.

CAPVT XVI.

Quid autem sunt creaturæ tuæ in conspectu tuo? Ardent ignita Seraphim, sed ignita sunt, non ignis: ardentia sunt, sed accensa accendunt & ipsa alios, sed non ex se: immò verò ex eo per quem ardent, & qui ardet in ipsis. Quid enim
1. Cor. 4. habent etiam ipsa quod non acceperunt? Licet enim plena sint ardoris & charitatis, ipsum tamen ardorem, ipsam charitatem de fonte ardoris & charitatis, quæ Deus est, acceperunt.

O amor qui semper ardes, & nunquam extingueris, charitas Deus, accensor ardentium Seraphim Deus meus, accende me Deus meus pulcherrime, qui decorem & confessionem induisti, amictus lumine sicut vestimèto, qui facis ministros tuos ignem vrentem, vrè & exure me, vt conuertar in te. O lux vera, lux sola, lux optima Deus meus illumina me. Quid enim sunt creaturæ illuminatæ comparatæ tibi?
Psal. 103
Hic. 1

Lucent quidem luminosa Cherubim, sed illuminata sunt, non ipsa sunt lumen, nec sibi vsurpant illius primi, & incircumscripti, & inaccessibilis luminis claritatè, sed semper respiciunt ad te Deus meus, lumen verum, fontem luminis, & se ministratarios spiritus esse profitentur.

Illuminant & ipsa alios, non tamen ex se, sed ex illo, qui lucet in ipsis. Ministri enim sunt luminis & sapientiæ, non magistri. Ministrant enim alijs quod ipsi excellentius acceperunt à te magister sapientissime, fons sapientiæ, vera & sola sapiëntia, non magisterij, sed ministerij sibi tribuentes honorem, scientes nõ in se, sed in Domino gloriari, quia vnus est magister eorum in cælis tu doctissime Deus meus.

Quam pulcher ergo es, & quam decorus dilecte mi, O quam pulcher es, quam
Cant. 1
Ecl. 05
Psal. 25
Psal. 66
1. Co. 13
mnino formosus in stola tua, id est, in indeficienti gloria tua, quam vere speciosus in delicijs tuis. Quis mihi det videre faciem tuam, & peruidere: quis mihi det intueri vultum festiue claritatis tuæ, vultum solarem, lunã & stellas pariter obfuscant? Tibi, tibi dixit cor meum: Exquisiuit te facies mea, faciem tuã formosissime Domine requiram: ne auertas eam quæ lo à me, sed misericordissime omnium, miserere & benedic mihi, illumina vultum tuum super me in me, vt videns Dominum facie ad faciem, saluam fieri sentiam animam meam, & verè fiat mihi romen Iſraël, quod est videns Deum.

O si iam daretur salutarem hanc faciem intueri. O si iam mihi non per speculum & in enigmate, non in fantasijs similitudinum, sed veritatem ipsam in veritate liceat contemplari. Putasne hoc aliquando eueniet? Quando autem veniet? Longissima est omnis mora, quantumcunque parua. Veni Domine Deus meus, veni & ne sarctis venire, ne differas apparere, vt iam videam te in te.